

S. M. / R. G.



ÉPOCA III.

MÁRTES, 26 MARZO DE 1912.

NÚM 363.



BOLETIN OFICIAL

DEL

OBISPADO DE MENORCA

ACTA PII PP. X.

CONSTITVTIO APOSTOLICA

DE NOVA PSALTERII IN BREVIARIO ROMANO DISPOSITIONE

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Divino afflatu compositos Psalmos, quorum est in sacris litteris collectio, inde ab Ecclesiae exordiis non modo mirifice valuisse constat ad fovendam fidelium pietatem, qui offerebant *hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini eius* (1); verum etiam ex more iam in vetere Lege recepto in ipsa sacra Liturgia divinoque Officio conspicuam habuisse partem.

(1) *Hebr.*, 13, 15.

Hinc illa, quam dicit Basilius, nata *Ecclesiae vox* (1), atque psalmodia, eius *hymnodica melia*, ut a decessore Nostro Urbano VIII appellatur (2), *quæ canitur assidue ante sedem Dei et Agni*, quæque homines, in primis divino cultui addictos docet, ex Athanasii sententia, *qua ratione Deum laudare oporteat quibusque verbis decenter confiteantur* (3). Pulchre ad rem Augustinus: *Ut bene ab homine laudetur Deus, laudavit se ipse Deus; et quia modmodum laudet dignatus est laudare se, ideo invenit homo, quemodum eum* (4).

Accedit quod in Psalmis mirabilis quædam vis inest ad excitanda in animis omnium studia virtutum. Etsi enim *omnis nostra Scriptura, cum tum nova, divinitus inspirata utilisque ad doctrinam est, ut scriptum habetur;... at Psalmorum liber, quasi paradisi omnium reliquorum (librorum fructus) in se continens, cantus edit, et proprios insuper cum ipsis inter psallendum exhibet. Hæc iterum Athanasius* (5), qui recte ibidem addit: *Mihi quidem videtur, psallenti Psalmos esse instar speculi, ut et seipsum et proprii animi motus in ipsis contempletur, atque ita affectus eos recitet* (6). Itaque Augustinus in Confessionibus: *Quantum, inquit, flevi in hymnis et canticis tuis suave sonantis Ecclesie tuæ vocibus commotus acriter! Voces illæ influebant auribus meis et iliquabatur veritas in cor meum et exaestuabat inde affectus pietatis et currebant lacrimæ et bene mihi erat cum eis* (7). Etenim, quem non moveant frequentes illi psalmorum loci, in quibus de immensa maiestate Dei, de omnipotentia, de inenarrabili iustitia aut bonitate aut clementia de ceterisque infinitis laudibus eius tam alte prædicatur? Cui non similes sensus inspirent illæ pro acceptis a Deo

(1) Homil. in Ps. 1 n. 2..

(2) Bulla «*Divinam psalmodiam*».

(3) Epist. ad Marcellium in interpret. Psalmor. n. 10.

(4) In Psam. 144 n. 1.

(5) Epist. ad Marcell. cit. n. 2.

(6) Op. cit. n. 12.

(7) Lib. IX cap. 6.

beneficiis gratiarum acti nes aut pro expectatis humi-
des fidentesque preces, aut illi de peccatis clamores paeni-
tentis animae? Quem non admiratione psaltes perfundat,
cum divinae benignitatis munera in populum Israel atque
in omne hominum genus profecta narrat, cunq̄ue caelestis
sapientiae dogmata tradit? Quem denique non amore in-
flammet adumbrata studiose imago Christi Redemptoris,
cuius quidem Augustinus (1) *vocem in omnibus Psalmis
vel psallentem, vel gementem, vel laetantem in spe, vel
suspirantem in re* audiebat?

Iure igitur optimo provisum est antiquitus, et per decre-
ta Romanorum Pontificum, et per canones Conciliorum,
et per monasticas leges, ut homines ex utroque clero inte-
grum Psalterium per singulas hebdomadas concinerent
vel recitarent. Atque hanc quidem legem a patribus tradi-
tam decessores Nostri S. Pius V, Clemens VIII, Urbanus
VIII in recognoscendo Breviario Romano sancte serva-
runt. Unde etiam nunc Psalterium intra unius hebdoma-
dae spatium recitandum foret integrum, nisi mutata rerum
condiitione talis recitatio frequenter impediretur.

Etenim procedente tempore continenter crevit inter fide-
les eorum hominum numerus, quos Ecclesia, mortali vita
defunctos, caelicclis accensere et populo christiano patro-
nos et vivendi duces consuevit proponere. In ipsorum ve-
ro honorem Officia de Sanctis sensim propagari coepe-
runt, unde fere factum est, ut de Dominicis diebus deque
Feriis Officia silerent ideoque non pauci neglegerentur
Psalmi, qui sunt tamen, nos secus ac ceteri, ut Ambro-
sius ait (2) *benedictio populi, Dei laus, plebis laudatio,
plausus omnium, sermo universorum, vox Ecclesiae, fi-
dei canora confessio, auctoritatis plena devotio, liberta-
tis laetitia, clamor incunditatis, laetitia resultatio*. De
huiusmodi autem omissione non semel graves fuerunt
prudentum piorumque virorum querimoniae, quod non
modo hominibus sacri ordenis tot subraherentur praesi-
dia ad laudandum Dominum et ad intimos animi sensus ci

(1) In Ps. 42 n. 1.

(2) Enarrat. in Ps. 1 n. 9.

significandos aptissima; sed etiam quod optabilis illa in orando varietas desideraretur, ad digne, attente, devote precandum imbecillitati nostrae quam maximi oportuna. Nam, ut Basilius habet, *in aequalitate torpescit saepe, nescio quomodo, animus, atque praesens absens est: mutatis vero et variatis psalmodia et cantu per singulas horas, renovatur eius desiderium et attentio instauratur* (1).

Minime igitur mirum, quod complures e diversis orbis partibus sacrorum Antistites sua in hanc rem vota ad Apostolicam Sedem detulerunt, maximeque in Concilio Vaticano, cum hoc inter cetera postularunt, ut, quoad posset, revocaretur consuetudo vetus recitandi per hebdomadam totum Psalterium, ita tamen ut clero, in sacri ministerii vinea ob imminutum operariorum numerum iam gravius laboranti, non maius imponeretur onus. Hisce vero postulationibus et votis, quae Nostra quoque ante susceptum Pontificatum fuerant, itemque precibus, quae deinceps ab aliis Venerabilibus Fratribus piisque viris admotae sunt. Nos equidem concedendum duximus, cauto tamen, ne recitatione integri Psalterii hebdomadae spatio conclusa, ex una parte quicquam de Sanctorum cultu decederet, neve ex altera molestius Divini Officii onus clericis, immo temperatius evaderet. Quapropter, implorato suppliciter *Patre luminum*, corrogastique in id ipsum suffragiis sanctarum precum, Nos vestigiis insistentes decessorum Nostrorum, aliquot viros delegimus doctos et industrios, quibus commisimus, ut consiliis studiisque collatis certam aliquam reperirent rei efficiendae rationem, quae Nostris optatis responderet. Illi autem commissum sibi munus e sententia exsequentes novam Psalterii dispositionem elaborarunt; quam cum S. R. E. Cardinales sacris ritibus cognoscendi praepositi diligenter consideratam probassent, Nos, utpote cum mente Nostra admodum congruentem, ratam habuimus in rebus omnibus, id est, quod ad ordinem ac partitionem Psalmorum, ad Antiphonas, ad Versiculos, ad Hymnos attinet cum suis Rubricis et Regulis, eiusque editionem authenticam in Nostra typographia Vaticana adornari et indidem evulgari iussimus.

(1) Regulae fusius tractatae, interrog. 37 n. 5.

Quoniam vero Psalterii dispositio intimam quandam habet cum omni Divino Officio et Liturgia coniunctionem, nemo non videt, per ea, quæ hic a Nobis decreta sunt, primum Nos fecisse gradum ad Romani Breviarii et Missalis emendationem: sed super tali causa proprium mox Consilium seu Commissionem, ut aiunt, eruditorum constituemus. Interim, opportunitatem hanc nacti, nonnullam iam in præ senti instauranda cœsuimus, prout in appositis Rubricis præscribitur: atque imprimis quidem ut, in recitando Divino Officio Lectionibus statutis sacræ Scripturæ cum Responsoriis de tempore occurrentibus debitus honor frequentiore usu restitueretur; dein vero ut in sacra Liturgia Missæ antiquissimæ de Dominicis infra annum et de Feriis, præsertim quadragesimalibus, locum suum recuperarent.

Itaque, harum auctoritate litterarum, ante omnia Psalterii ordinem, qualis in Breviario Romano hodie est, abolemus eiusque usum. inde a Kalendis Ianuariis anni melleseimi nongentesimi decimi tertii, omnino interdiciamus. Ex illo autem die in omnibus ecclesiis Cleri saecularis et regularis, in monasteriis, ordinibus, congregationibus, institutisque religiosorum ab omnibus et singulis, qui ex officio aut ex consuetudine Horas canonicas iuxta Breviarium Romanum, a S. Pio V editum et a Clemente VIII, Urbano VIII, Leone XIII recognitum, persolvunt, novum Psalterii ordinem, qualem Nos cum suis Regulis et Rubricis approbavimus typisque Vaticanis vulgandum decrevimus, religiose observari iubemus. Simul vero poenas in iure statutas iis denuntiamus, qui suo officio persolvendi quotidie Horas canonicas defuerint; qui quidem sciant se tam gravi non satisfacturos officio, nisi Nostrum hunc Psalterii ordinem abhubeant.

Omnibus igitur Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus ceterisque ecclesiarum Praelatis, ne Cardinalibus quidem Archipresbyteris patriarchalium Urbis basilicarum exceptis, mandamus, ut in sua quisque diocesi, ecclesia vel coenobio Psalterium cum Regulis et Rubricis, quemadmodum a Nobis dispositum est, constituto tempore inducendum curent: quod Psalterium quasque Regulas et Rubricas etiam a ceteris omnibus, quoscumque obliga-

tio tenet recitandi vel concinendi Horas canonicas, inviolate adhiberi ac servari praecipimus. Interim autem cui libet et capitulis ipsis, modo id maior capituli pars sibi placere ostenderit, novum Psalterii ordinem, statim post eius editionem, rite usurpare licebit.

Haec vero edicimus, declaramus, sancimus, decernentes has Nostras litteras validas et efficaces semper esse ac fore; non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, generalibus et specialibus, ceterisque quibusvis in contrarium facientibus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae abolitionis, revocationis, permissionis, iussionis, praecepti, statuti, indulti, mandati et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ab beatorum Petri et Pauli, Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo nongentesimo undecimo, Kalendis Novembribus, in festo Sanctorum omnium, Pontificatus Nostri anno nono.

A. CARDINALIS AGLIARDI

S. R. E. Cancellarius.

FR. SEB. CARDINALIS MARTINELLI

S. R. C. Praefectus.

Loco ✠ Plumbi

VISA

M. RIGGI C. A., *Not.*

Reg. in Canc. Ap, N. 571.

RUBRICAE
IN RECITATIONE DIVINI OFFICII
ET IN MISSARUM CELEBRATIONE

SERVANDAE

AD NORMAM CONSTITUTIONIS APOSTOLICAE

“DIVINO AFFLATU”

TITULUS I

De ratione Divini Officii recitandi

iuxta novum Psalterii ordinem.

1. In recitatione Divini Officii, iuxta Romanum Ritus, Psalmi quotidie sumendi sunt, ad singulas Horas canonicas, de occurrente hebdomadae die, prout distribuuntur in Psalterio noviter disposito; quod deinceps, loco veteris dispositionis, in novis Breviarii Romani editionibus vulgandum erit.

2. Excipiuntur tamen omnia Festa Domini eorumque integræ Octavae, Dominicae infra Octavas Nativitatis, Epiphaniae, Ascensionis et Corporis Domini, Vigilia Epiphaniae et Feria VI post Octavam Ascensionis, quando de eis persolvendum sit Officium; itemque Vigilia Nativitatis ad Laudes et ad reliquas Horas minores usque ad Nonam, et Vigilia Pentecostes; nec non omnia Festa Bætae Mariæ Virginis, SS. Angelorum, S. Joannis Baptistæ, S. Iosephi et SS. Apostolorum et Duplicia I et II classis, eorumque omnium integræ Octavae, si de eis fiat Officium, quod recitandum erit prout assignatur, vel in Breviario, vel in Proprio Diocesis vel Instituti, hac lege tamen ut Psalmi ad Laudes, Horas et Completorium semper sumendi sint ex Dominica, ut in novo Psalterio; ad Matutinum vero et ad Vesperas, dicantur ut in Communi, nisi speciales Psalmi sint assignati. Tribus autem ultimis diebus maioris hebdomadae, nil erit innovandum, sed Officium integre persolvendum erit, prout nunc habetur in Breviario, sumptis tamen ad Laudes Psalmi de Feria currenti, ut in novo

Psalterio, excepto Cantico Sabbati Sancti, quod etiamnum est «*Ego dixi: In dimidio*». Ad Completorium sumantur Psalmi de Dominica, uti in novo pariter Psalterio.

3. In quolibet alio Festo Duplici, etiam maiore, vel Semiduplici, vel Simpliciter, et in Feriis Tempore Paschali semper dicantur Psalmi, cum Antiphonis in omnibus Horis. et Versibus ad Matutinum, ut in Psalterio de occurrenti hebdomadæ die; reliqua omnia, et Antiphonæ ad *Magnificat* et *Benedictus*, ut in Proprio aut Communi. Quod si aliquod ex Festis huius modi proprias vel peculiariter assignatas habet Antiphonas in aliqua Hora maiori, eas in ædem ipsa retinet cum suis Psalmis, prout habetur in Breviario: in ceteris Horis Psalmi et Antiphonæ dicantur de Feria occurrente.

4. Lectiones ad Matutinum in I Nocturno semper legendæ erunt de Scriptura occurrente, licet aliquando in Breviario Lectiones de Communi assignentur, nisi sit Festum Domini aut Festum cuiusvis ritus B. Mariæ Virginis, vel Angelorum, vel S. Ioannis Baptistæ, vel S. Ioseph, vel Apostolorum, aut Duplex I vel II classis, aut agatur de Festo, quod vel Lectiones habeat proprias, non vero de Communi, vel occurrat in Feriis Lectionibus de Scriptura non habentibus, ideoque Lectiones de Communi necessario recipiat. In Festis vero, in quibus hucusque erant Lectiones de Communi, Responsoria vero propria, retineantur eadem Lectiones cum propriis Responsoriis.

5. Porro sic erit persolvendum Officium in Festis Duplicibus et Semiduplicibus superius non exceptis.

Ad Matutinum Invitatorium, Hymnus, Lectiones II et III Nocturni ac responsoria trium Nocturnorum propria, vel de Communi: Antiphonæ vero, Psalmi et Versus trium Nocturnorum, nec non Lectiones I Nocturni de Feria occurrente.

Ad Laudes et ad Vesperas Antiphonæ cum Psalmis de Feria; Capitulum, Hymnus, Versus et Antiphona ad *Benedictus* vel ad *Magnificat* cum Oratione aut ex Proprio, aut de Communi.

Ad Horas minores et Completorium Antiphonæ cum Psalmis semper dicuntur de occurrente Feria. Ad Primam

pro Lectione brevi legitur Capitulum Nonæ ex Proprio, vel de Communi. Ad Tertiam, Sextam et Nonam Capitulum, Respansorium breve et Oratio parites sumuntur vel ex Proprio, vel de Communi.

6. In Officio S. Mariæ in Sabbato et in Festis Simplicibus sic Officium persolvendum est: ad Matutinum Invitatorium et Hymnum dicuntur de eodem Officio vel de iisdem Festis; Psalmi cum suis Antiphonis et Versu de Feria occurrente; I et II Lectio de Feria, cum Responsoriis propriis, vel de Communi; III vero Lectio de Officio vel Festo; duabus Lectionibus in unam iunctis, si quando duae pro Festo habeantur; ad reliquas autem Horas omnia dicuntur, prouti supra, n. 5, de Festis Duplicibus expositum est.

7. In Feriis et in Festis Simplicibus Psalmi ad Matutinum, qui in novo Psalterio in tres Nocturnos dispositi inveniuntur, dicantur sine interruptione cum suis novem Antiphonis usque ad tertium Versum inclusive, omissis Versibus primo et secundo.

TITULUS II.

De Festorum præstantia.

1. Ut recte dignoscatur quale ex pluribus Officiis sit præstantius et proinde sive in occurrentia, sive in concurrenti, sive in ordine repositionis au translationes, præferendum, sequentes præstantiæ characteres considerandi sunt.

a) *Ritus altior*, nisi occurrat Dominica, vel Feria, vel Octava privilegiata, vel etiam quælidet dies Octava iuxta Rubricas.

b) *Ratio Primarii aut Secundarii.*

c) *Dignitas Personalis*, hoc ordine servato: Festa Domini, B. Mariæ Virginis, Angelorum, S. Ioannis Baptistæ, S. Ioseph, SS. Apostolorum et Evangelistarum.

d) *Sollemnitatis externa*, scilicet si Festum sit feriatum aut celebretur cum Octava.

2. In occurrentia, et in ordine repositionis aut translationis, alius quoque character considerandus est, nempe:

e) *Proprietas Festorum*. Dicitur Festum alicuius loci proprium, si agatur de Titulo Ecclesia, de loci Patrono etiam secundario, de Sancto (in Martyrologio vel in eius appendice approbata descripto), cuius habetur corpus vel aliqua insignis et authentica reliquia, vel de Sancto, qui cum Ecclesia, vel loco, vel personarum coetu specialem habeat rationem. Igitur Festum quodvis istiusmodi proprium, ceteris paribus præfertur Festo Universalis Ecclesiæ. Excipiuntur tamen Dominicæ, Feriæ, Octavæ et Vigiliæ privilegiatæ, nec non Festa primaria Duplicia I classis Universalis Ecclesiæ, quæ uniuscuiusque loci propria considerantur et sunt. Festum autem Universalis Ecclesiæ, cuiusvis ritus, quia est præceptivum, ceteris paribus, præferri debet Festis aliquibus locis ex mero Indulto S. Sedis concessis, quæ tamen propria, sensu quo supra, dici nequeunt.

TITULUS III.

De Festorum occurrentia accidentali eorumque translatione.

1. De Dominicis maioribus I classis, quodvis Festum in eis occurrat, semper faciendum est Officium Dominicæ vero II classis cedunt tantummodo Festis Duplicibus I classis, quo in casu de Dominica fit commemoratio in utrisque Vesperis, Laudibus et Missa cum IX Lectione ad Matutinum.

2. De Dominicis minoribus, seu per annum, semper fieri debet Officium, nisi occurrat Festum quodcumque Domini, aut aliquod Duplex I vel II classis, aut dies Octava Festorum Domini, quo in casu in Officio Festi vel diei Octavæ fit commemoratio Dominicæ in utrisque Vesperis et Laudibus et Missa cum IX Lectione ad Matutinum Si Dominica infra Octavam Nativitatis occurrat in Festo S. Thomæ Ep. M. aut in Festo S. Silvestri P. C. fit Officium de ipsa Dominica cum commemoratione Festi occurrentis; quo in caso die 30 Decembris, in Officio diei infra Octavam, Lectiones I et II Nocturni sumuntur e Festo Nativitatis cum Responsoriis Dominicæ. Quoad Dominicam

vero, quæ occurrit a Festo Circumcisionis usque ad Epiphaiam, nihil innovetur.

3. Duplicia I et II classis, quæ seu ab aliqua Dominica maiori, seu a nobiliori Officio impediuntur, transferenda sunt in proximiorum insequentem diem, quæ libera sit ab alio Festo Duplici I vel II classis, vel ab Officiis huiusmodi Festa excludentibus; salvo tamen privilegio a Rubricis concesso Festivitatibus Purificationis et Annuntiationis B. M. V., nec non Commemorationis sollemnis S. Ioseph.

4. Festa Duplicia maiora cuiusvis dignitatis et Duplicia minora Doctorum Ecclesie non amplius transferri possunt, sed quando impediuntur, de eis fiat commemoratio, uti de aliis Duplicibus minoribus impeditis Rubricæ disponunt (salvo quo numero sequenti statuitur de omittenda in Dominicis IX Lectione historica), nisi forte occurrant in Duplicibus I classis, in quibus nullius Officii agenda est commemoratio, nisi de occurrenti Dominica, vel de Feria, aut Octava privilegiata.

5. Porro si in Dominica maiori occurrat Officium Duplex maius aut minus, vel Semiduplex, vel Simplex, fiat de Dominica cum commemoratione Officii occurrentis in utrisque Vesperis (de Simplici tamen in primis Vesperis tantum) Laudibus et Missa, sine IX Lectione historica. Idem fiat Dominicis minoribus, nisi in eis occurrat Festum quodcumque Domini, aut quodvis Duplex I vel II classis, aut dies Octava Festorum Domini, quo in casu, ut supra n. 2 dictum est, fiat de Festo, vel de Octava cum commemoratione et IX Lectione Dominicæ.

6. Dies, in qua celebratur Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum, excludit translationem cuiusvis Festi.

(Continuará)



FELICITACIÓN Y BENDICIÓN

En la fiesta onomástica de Su Santidad, nuestro Excelentísimo Prelado le dirigió telegrama de felicitación, que obtuvo la honrosísima contestación y bendición solicitada á tenor del telegrama que con el de nuestro Excelentísimo Prelado va á continuación y que los fieles recibirán con el amor y reconocimiento debidos al Supremo Pastor de nuestras almas.

«EMINENTÍSIMO SR. CARDENAL SECRETARIO DE ESTADO.

Roma.

Con Clero y fieles rindo homenaje de felicitación á nuestro Santísimo Padre muy amado, implorando bendición.

JUAN, OBISPO DE MENORCA.»

«OBISPO MENORCA.

Ciudadela—Espayne.

Su Santidad agradece Prelado, Clero y fieles filial homenaje enviándoles bendición Apostólica.

CARD. MERRY DEL VAL.»



JUNTA DIOCESANA DE ACCIÓN CATÓLICA

BARCELONA.—PALACIO EPISCOPAL.

Ilmo. y Rdmo. Sr.: En nombre de nuestro Rdmo. Prelado y de la Junta Organizadora del Tercer Congreso Nacional de Música Sagrada que, Dios mediante, debe celebrarse á últimos del corriente año en esta ciudad de Barcelona, tenemos el gusto de incluir con la presente la convocatoria del Congreso, la lista de los individuos que componen dicha Junta y una circular de la Sub Comisión redactora del Programa, Reglamento y Cuestionario del Congreso, sobre la cual llamamos especialmente la atención de V. S. Rdma.

Al propio tiempo nos permitimos someter á la elevada consideración de V. S. Rdma. la conveniencia de constituir en esa ciudad una Comisión diocesana del Congreso que, estando en continua relación con esta Junta Organizadora, fomentase en esa diócesis la inscripción de socios, el envío de trabajos y la concurrencia de congresistas.

Para facilitar la venida de éstos gestionaremos rebaja de ferrocarriles.

Si V. S. Rdma., accediendo á nuestra súplica, constituyese en esa la Comisión Diocesana, sería conveniente que la misma se pusiera inmediatamente en comunicación con esta Junta Organizadora para el envío de todos los datos y antecedentes del Congreso.

Hoy por hoy lo más urgente, dada la perentoriedad del plazo fijado, es cumplimentar el acuerdo de la Sub Comisión redactora del Programa, Reglamento y Cuestionario del Congreso, del que se hace mérito en la circular acompañada y publicar en el Boletín Oficial de esa Diócesis la convocatoria del Congreso y demás antecedentes del mismo.

Besan el Anillo Pastoral de V. S. Rdma. sus humildes servidores en Cristo.

El Presidente, JUAN DE DITRIAS.—El Secretario, JOSÉ PARELLADO.

Barcelona, 28 Febrero 1912.

ILMO. Y RVMO. SR. OBISPO DE MENORCA.

TERCER CONGRESO NACIONAL

DE

MUSICA SAGRADA

JUNTA ORGANIZADORA

PALACIO EPISCOPAL. — BARCELONA

*Circular de la Sub - Comisión Redactora del Programa,
Reglamento y Cuestionario del Congreso.*

Constituida por el Excmo. é Ilmo. Sr. Obispo de esta Diócesis la Junta General organizadora del Tercer Congreso Nacional de Música Sagrada, y fijado ya el Plan y Reglamento interno por el que deben regirse las Sub-Comisiones en que para facilitar los trabajos preparatorios se ha dividido la Junta General, la Sub-Comisión redactora del Programa en sesión habida hoy 18 de Febrero de 1912, ha tomado el siguiente acuerdo que hace público por la presente Circular.

Los abajo firmados que, por disposición del Excelentísimo Sr. Obispo, constituimos la Sub-Comisión redactora del Programa, Reglamento y Cuestionario del Congreso, considerando la importancia y trascendencia de nuestra labor preparatoria, y que ésta para ser práctica, debe ser resultado del esfuerzo general de todos aquellos á quienes pueda interesar la celebración del Congreso, suplicamos á los dignísimos Maestros de Canto Gregoriano y de Capilla, Organistas, Profesores de Música y cuantos sienten entusiasmo por el perfeccionamiento de la Música Litúrgica, que á la mayor brevedad posible y en todo caso hasta el día 23 de Marzo próximo se sirvan ilustrarnos enviando nota al señor Secretario de la Junta Diocesana (Palacio Episcopal) que lo es de la Organizadora del Congreso, de cuanto á su ilustrado juicio pueda contribuir á la mayor solemnidad y eficacia práctica del mismo.

Rogamos á toda la prensa se digne remitir á dicho Secretario un ejemplar de cada número en que se dé algu-

na noticia referente al Congreso que se proyecta celebrar.

Barcelona, diez y ocho de Febrero de mil novecientos doce.—FELIPE PEDRELL, *Presidente*.—VICENTE M.^a DE GIBERT.—A. NICOLAU.—GREGORIO M.^a SUÑOL, *O. S. B.*—DOMINGO MAS SERRACANT.—JOSÉ MASVIDAL, *Pbro.*—LUIS MILLET.—JOSÉ CUMELLAS RIBÓ, *Vocales*.

BENDICION DE SU SANTIDAD

En contestación del telegrama que el Excmo. é Ilmo. señor Obispo de Barcelona dirigió al Emmo. Sr. Cardenal Merry del Val, suplicando que Su Santidad se dignara bendecir los trabajos del tercer Congreso Nacional de Música Sagrada, se ha recibido el siguiente:

Obispo de Barcelona.—El Santo Padre alegrándose por el filial testimonio de veneración rendido por Vuestra Excelencia en nombre de la Junta Organizadora del tercer Congreso Español de Música Sagrada, da las gracias y de corazón concede á todos la implorada Bendición Apostólica prenda de los auxilios celestiales—CARDENAL MERRY DEL VAL.

En virtud de los documentos que preceder, es de desear y se ruega á los señores que componen la Comisión de Música Sagrada en esta Diócesis, y, lo mismo á los maestros músicos y Curas-Parrocos, que, atendiendo á la invitación y ruego que se contienen en los citados documentos, aporten los datos, documentos y noticias que puedan convenir para el mejor éxito del Tercer Congreso Nacional de Música Sagrada, poniéndose al efecto en comunicación con la Junta General de dicho Congreso, constituida por el Excmo. Sr. Obispo de Barcelona.

Los señores que componen hoy la Comisión de Música Sagrada en esta Diócesis son los siguientes:

Presidente: M. I. Sr. D. Manuel Ibarrola, Dean.

Vice-Presidente: M. I. Sr. D. Sebastian Juan Sampol de Palós, Penitenciario.

Vocal: Rdo. Sr. D. Miguel Sintes, Pbro.

Id. » » » Juan Salom, Pbro. .

Id. » » » Miguel Pons Gorrias, Pbro.

Id. » » » José Sintes, Pbro.

Id. » » » Francisco Sastre, Pbro.

Id. » » » Rafael Mercadé Armengol, Salesiano.

Id. » » » Angel Ruiz y Pablo.

Secretario: M. I. Sr. Don Miguel Dalmedo, Canónigo.



NOMBRAMIENTO

El 1.º del actual Su Excia. Ilma. tuvo á bien nombrar Ecónomo de la parroquia de Ntra. Sra. del Carmen de Mahón, al Rdo. Lic. D. Gabriel Coll Mancas, Regente que era de la misma.



CRÓNICA DE LA DIÓCESIS

La fiesta del Doctor Angélico, fué conmemorada por los señores Profesores y alumnos del Seminario de esta Diócesis, con solemnes cultos la vispera y día de la fiesta, celebrados en la iglesia de San Agustín, adjunta á dicho centro escolar.

El homenaje literario-musical tributado al Sol de Aquino por el mismo Centro docente, se diferió para el domingo inmediato a la festividad del Santo Doctor, verificándose con el esplendor y entusiasmo de los años anteriores.

Ocupó la presidencia el Excmo. Prelado, figurando en el mismo estrado presidencial el Excmo. Sr. Don José de Olives, ex-Diputado á Cortes, el M. I. Sr. Teniente Coronel de Estado Mayor y señores Jefes de la Sección Topográfica de esta isla, algunos señores Capitulares de esta Catedral y claustro de Profesores del Establecimiento.

El espacioso salón ofrecía brillante aspecto, por su decoración y copia de luces.

Comenzó el acto de referencia con un entusiasta himno cantado por un nutrido coro de voces, en honor de Santo Tomás. El alumno Don Juan Banejam, leyó una hermosa «Leyenda de Alberto Magno», presentando á grandes rasgos la vida de aquel insigne Maestro en sus relaciones con el Doctor Angélico.

El seminarista Don Miguel Gomila, recitó con sentimiento, una poesía intitulada «La sociedad anticristiana,» que constituyó como una descripción anatómica de la sociedad contemporánea.

«El salario del obrero y Santo Tomás,» artículo de actualidad sobre la candante materia del jornal según la doctrina del Santo Doctor, fué la materia que brevemente desarrolló el alumno Don Antonio Pous.

Los seminaristas Don José Moll y Don Francisco Megardón, recitaron con viva expresión un hermoso diálogo,

pintando con vivo colorido «Lo transitorio y lo estable.»

La segunda parte de la velada, se inició con una brillante interpretación de la «Quarta Parola» de Mercadante, bajo la batuta del Profesor de música del mismo Seminario Rdo. Don José Sintés, á cuyo cargo corrió la dirección de la parte musical.

Siguió despues la lectura de un breve é interesante estudio sobre astronomia, intitulado «Nebulosas,» leído por el alumno Don Jaime Mercadal. Los tres alumnos Don Miguel Mascaró, D. Guillermo Llabrés y Don Antonio Pons, ofrecieron un oportunísimo asunto de controversia con el tema «El arreglo del mundo,» proponiendo cada uno lo que creia ser panacea para el logro de dicho fin, viniendo por último á una solución definitiva que podriase condensar con estas breves palabras, de un antiguo adagio; *á Dios rogando y con el mazo dando:* oración, acción catolico-social y periodisimo católico, como indispensables elementos para conseguir el anhelado *arreglo.*

El alumno Don Manuel Moll, recitó con mucha maestría y perfecta vocalización una tiernísima poesia, con el título «La Plegaria del Marino».

Un decímetro de discurso por el seminarista D. Juan Salord, á guisa de respetuoso y filial saludo al Prelado que presidía el acto, fué digno coronamiento de la parte literaria de esa hermosa velada.

La parte musical puso brillante remate a tan grata función, con la interpretación de la «Introduzione á la sette parole de Nostro Signore.»

Todos esos números fueron muy aplaudidos por la selecta y muy numerosa concurrencia.

Nuestro Prelado, con una hermosa improvisación, puso como un precioso florón á la velada, presentando á Santo Tomás como ángel antes que Doctor, como dueño y despegado de las concupiscencias hechas pavesas á sus piés teniendo el espíritu mejor dispuesto para encumbrarse á las regiones puras y elevadas de la verdad. El Santo, dijo el Sr. Obispo, entrando en una pequeña digresión,

fué un verdadero *super-homo* y no esos hoy llamados *intelectuales*, que dándose à sí mismo el dictado de sabios, alabando sus propios méritos, vienen à declararse en vez de *super-hombres* *infra-hombres*.

En el próximo número, que saldrá el lunes de la semana entrante, se publicará la reseña de los cultos celebrados en la iglesia de Santa Clara de esta ciudad, con motivo del séptimo Centenario de establecimiento de la segunda Orden Seráfica.

Entre los varios actos organizados por la Junta de Damas de ésta ciudad para recolectar recursos con que ayudar y asistir à los enfermos y heridos de Melilla y à las familias de los fallecidos en campaña, se celebró el día S. José en el Colegio Salesiano hermosa y patriótica velada, presidida por nuestro Excmo. Prelado y demas autoridades de esta ciudad.

La nota dominante de dicho acto, fué la demostración, de afecto religioso y pátrio que se puso de relieve en todos los que tomaron parte en ella especialmente en el discurso del capitán de Cazadores D. Alfredo Guedea.

Terminado el acto, nuestro Excmo. Prelado dirigió su autorizada palabra à los asistentes, diciendo entre otras cosas, que de nuestro Divino Salvador, se lee haber llorado solamente dos veces: una por sentimiento de amistad y otra por sentimiento de patriotismo, recordando à este propósito las lagrimas derramadas por Jesús sobre el sepulcro de su amigo Lázaro y las que corrieron por sus mejillas, en otra ocasión, à la vista de Jerusalem.



NECROLOGIA

El día 6 del próximo pasado Febrero, falleció en Madrid, donde residia, el Rdo. D. Antonio Orfila Pons, Pbro. Cura-Párroco que era de la Iglesia de Ntra. Sra. del Cármen de Mahón.

Descanse en paz el alma del ilustrado sacerdote.



Sumario. — Constitución Apostólica «Divino afflatu» de S. Santidad Pio X acerca la reforma del Rezo Divino, pág. 37.—Felicitación y Benección, pág. 48.—Junta Diocesana de acción católica en Barcelona, pág.—49 Tercer Congreso Nacional de Música Sagrada, pág. 50.—Bendición de Su Santidad á dicho Congreso, pág. 51.—Señores de la Comisión de Música Sagrada en esta Diócesis, pág. 52.—Nombramiento, pág. 52.—Crónica de la Diócesis, pág. 53.—Necrología, pág. 56.



Imprenta del Sagrado Corazón de Jesús.—Ciudadela.